

modum ditavit sermonem: qui quò uberior,  
eo melius certiusque animi sensa exponimus.  
Sed adhac artis Grammaticæ miracula non  
attendit vulgus; sapientes verò penè obstupe-  
scunt.

## EXERCITATIO LXXX.

*De personis admirantibus.*

1. Hactenus de objectis admirati-  
onis sive rebus admirandis  
egimus, jam videamus de subjectis sive  
personis admirantibus. Ubi primò di-  
cimus, maximum admirabile non ad-  
mirari, hoc est, *Deum*, qui objectum  
admirationis maximum est, non esse ca-  
pacem admirationis, quoniam nihil ei  
novi, insoliti, inopinati accidere potest  
unquam.

2. Sed *Christus*, Deus & Homo, an  
etiam admirationis affectum in se habuit?  
Resp. Quid ni, cùm verus homo fuerit,  
nobis per omnia similis, excepto pecca-  
to? Bis autem in statu exinanitionis suæ  
admiratum fuisse legimus, semel quidem,  
propter incredulitatem suorum popula-  
rium Marc. vi. 6. qui erant Galilæi; alia  
vice propter eximiam fidem alicujus ex-  
tranei,